

# EPISTULA LEONINA

## CLVII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SEPTIMAM (157) !**

## ARGUMENTA

CONCORDIA PARVAE RES CRESCUNT.....03  
 FABELLA GRIMMIANA: De duobus fratribus.....04 - 23

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
 SAL.PL.DIC.

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam  
 quinquagesimam septimam. –*

*Hac in Epistulâ invenies fabellam puerilem omnium, quas Iacobus atque  
 Vilelmus Grimm fratres umquam scripserunt, longissimam! Est fabella verê  
 lepida, quae habet heroes admirabiles necnon habet magnam expectationem.  
 Insunt heroici fratres gemini, quorum unus altero est iunior (mirum!) necnon  
 huic fabellae mirabili insunt bestiae fortissimae et sagacissimae: lepus et  
 vulpes et lupus et ursus et leo; rex autem bestiarum (qualis solet appellari) –  
 mirum lectu! – non solum est vini peritissimus, sed etiam libenter vino  
 inebriatur. Omnium bestiarum huius fabellae maxime mirabilis est lepus, qui  
 sciat mortuos in vitam revocare... Nec desunt draco taeterrimus saganaque  
 malevolentissima nec – scilicet – deest principissa, quae – quisnam dubitet? –  
 ab heroe multis periculis superatis in fine feliciter in matrimonium ducitur.  
 Cui fabellae mirabili Latinê reddendae per hoc triduum insudavi magno cum  
 labore – utinam tibi placeat, utinam tibi sit usui et fructui!*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 157 tolle et lege et laetare...!*

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
 Die Lunae, 12. m.Mart. a.2018**



**CONCORDIA PARVAE RES CRESCUNT  
DISCORDIA MAXIMAE DILABUNTUR**

## FABELLA GRIMMIANA



### De duobus fratribus

Aliquando fuerunt duo fratres, dives et pauper. Dives erat aurifex et animo improbo; pauper victum quaeritabat scopis vinciendis, et erat bonus et probus. Fratri pauperi erant bini liberi, qui erant gemini, unus alteri tam similis quam una gutta aquae alteri. Duo pueri interdum domum divitis ineuntes nonnumquam reliquias ciborum accipiebant. Factum est, ut vir pauper in silvam iens sarmenta allaturus avem videret, quae tota erat aurea et pulchrior omni quam umquam viderat antea. Tum vir lapillo sublato et iacto illam feliciter percussit; at pennâ tantum aureâ decedente avis ipsa evolavit. Vir autem pennam sumptam fratri attulit; is pennâ conspectâ: »Quae constat« inquit »ex auro puro« et viro dedit multum pecuniae. Postridie vir in betullam connixus est nonnullos ramos abscisurus. Tum eadem avis evolavit, et vir eam quaeritans invênit nidum, cui inerat ovum aureum. Vir ovum secum domum ablatum fratri dedit, qui iterum dicens: »Quod constat

ex auro puro« tantum ei dedit pecuniae, quantum valuit. Denique aurifex: »Avem ipsam« inquit »cupio habere«. Deinde vir pauper tertio iit in silvam et tertio vidit avem auream in arbore sedentem. Tum lapide sumpto avem percussam deiecit et attulit fratri, qui pro illâ dedit magnum acervum pecuniae. Tum vir ‚Nunc vitam sustentare possum’ cogitans animo contento domum iit.

Aurifex cum esset sagax atque dolosus, bene scivit, qualis avis haec esset. Qui uxori advocatae dixit: »Assa mihi hanc avem auream et cura, ne quid eius auferatur, nam cupio eam totam comedere solus«. Avis autem non fuit generis vulgaris, sed tam mirabilis, ut is, qui huius bestiae cor atque iecur comedisset, omni mâne sub cervicali suo inveniret nummum aureum. Uxor aurificis avem praeparavit, verui affixit, assavit. Nunc factum est, ut veru igni appposito mulier propter alium laborem exanclandum coquinam relinqueret; tum duo filii scoparii pauperis incurrerunt et veru, cui se apposuerant, aliquoties circumverterunt. Cum vero duo frustula ex ave in sartagine decidissent, unus: »Haec frustula« inquit, »comedamus. Equidem vehementer esurio, certê nemo hoc animadvertet«. Tum ambo frustula comederunt; sed mulier adveniens vidit illos aliquid comedere et: »Quidnam« inquit »comedistis?« - Illi responderunt: »Duo frustula, quae ex ave exciderunt«. »Haec fuerunt cor atque iecur« mulier dixit perterrita et, ne maritus quid desideraret neve stomacharetur, sine morâ gallulum mactavit, cor atque iecur exêmit eaque avi aureae apposuit. Avis autem percocta a muliere aurifici apposita, a quo tota est comesa nullâ parte relictâ. At postridie mâne aurifex sub cervicali nummum aureum exempturus invênit omnino nullum.

Duo pueri autem nesciverunt, quam fortunati essent. Postridie mâne cum surrexissent, aliquid humum decidit sonans, et pueri rem sublatam viderunt esse duos nummos aureos. Quibus ad patrem allatis is miratus: »Quonam modo« inquit, »hoc factumst?« Cum autem postridie iterum duos nummos aureos invenissent et omni die alios, tum vir iit ad fratrem suum eique narravit hanc rem miram. Aurifex autem statim animadvertit, quomodo hoc factum esset et pueros comedisse cor atque iecur avis aureae, et, ut ulcisceretur et quia erat invidiosus atque duricors, patri dixit: »Filii tui dediti sunt diabolo, ne sumas hoc aurum neve illos diutius patiaris domi remanentes, nam

cavendum est, ne diabolus illos sibi subiectos habens tibi ipsi moliatur perniciem!« Pater autem, cum diabolum timeret, quamcumque doluit, tamen geminos in silvam eductos animo tristi reliquit.

Nunc duo pueri per silvam errantes quaerebant viam, qua domum venirent, sed eam non invenientes magis magisque errabant. Tandem inciderunt in venatorem, qui eos rogavit: »Cuius estis, pueri?« – Iidem responderunt: »Sumus filii scoparii pauperis« et illi narraverunt patrem noluisse se diutius domi retinere, quia omni mâne cervicali suo supposita esset nummus aureus. Venator: »Hem,« inquit, »hoc nil mali est, si quidem manebitis probi neque incipietis pigrari«. Hic vir bonus, quia pueri sibi placuerunt sibique non fuerunt filii, eos domum duxit et: »Ego« inquit »velim vos alere atque educare«. Pueri autem apud eum didicerunt artem venatoriam, et nummum aureum, quem uterque surgens inveniebat, altor alumnis recondebat, ut in futurum haberent, si necesse esset.

Cum pueri adolevissent, aliquando altor eos secum in silvam duxit et: »Velim« inquit, »hodie probemini examine sclopetandi, ut vos tirocinio dissolutos faciam venatores«. Cum eo ierunt ad stationem venaticiam, ubi iisdem diu exspectantibus nulla apparuit bestia fera. Venator suspexit et vidit catenam anserum nivalium, qui volabant formâ trianguli. Tum venator uni gemino dixit: »Nunc ex omni angulo unum anserem sclopetando deice«. Is cum hoc fecit, examen superavit. Brevi post altera catena anserum advolavit, quae formâ erat numeri binarii; tum venator iussit alterum puerum simili modo ex omni angulo iaculatum anserem deicere unum, et alteri quoque puero res successit feliciter. Nunc altor alumnis dixit: »Vos tirocinio cum dissolverim, nunc estis venatores eruditi!« Deinde fratres unâ in silvam ierunt et consuluerunt et conventum fecerunt. Vespere cum consedisent cenaturi, altori dixerunt: »Nos cibos non tangemus neque ullum frustum comedemus, antequam tu nobis id concedes, quod te rogaverimus«. Tum venator: »Quidnam rogatis?« Illi responderunt: »Nos cum nunc tirocinium finiverimus, oportet vitam experiamur mundum permigrantes, ergo permitte, ut profecti migremus«. Tum senex gavisus: »Sic loquimini« inquit, »ut loqui solent venatores probi, necnon id quod rogavistis, ego ipse optaveram; ergo

proficiscamini, bene vos habebitis«. Deinde laetê unâ comederunt atque biberunt.

Cum dies destinatus venisset, altor utrique alumno donavit bonum sclopetum et canem nummorumque aureorum, quos comparserat, tantum iussit sumere, quantum voluit. Deinde per aliquantum viae alumnos comitatus iisdem valedicens dedit cultrum nudum et: »Si quando inter vos« inquit, »voletis discedere, ad bivium hunc cultrum in arbore defigatis, in eo enim unus reversus videbit, quomodo alter absens se haberet, nam id latus, in quod is profectus erit, ferrugine obtegetur, ubi primum morietur, at dummodo vivet, manebit nudum«. Duo fratres longius longiusque prodeuntes in silvam venerunt, quae maior erat, quam ut uno die permigraretur. Ergo nocte in eâ permanentes ea comederunt, quae inferserant perulis suis venaticis; altero quoque die migrantes tamen non ex silvâ sunt egressi. Cum iisdem nulli iam essent cibi, unus: »Necesse est« inquit, »ut feram sclopeto feriamus, ne fame pereamus«, et sclopeto caricato se circumspexit. Cum autem vetus lepus accurreret, îdem iuvenis sclopetum genae apposuit, sed vetus lepus vocavit:

»Care venator, vivere me sinas,  
ut duos catulos a me accipias«.

Deinde îdem lepus sine morâ in dumetum saluit et duos catulos sui attulit; hae autem bestiolae tam laetê ludebant erantque tam bene môrati, ut venator, quâ esset misericordiâ, nollet eos necare. Itaque fratres lepusculos secum retinuerunt, qui illos insequabantur. Brevi post vulpes quaedam praeter eos repsit, quam voluerunt sclopetando ferire, sed vulpes vocavit:

»Care venator, vivere me sinas,  
ut duos catulos a me accipias«.

Quae bestia duas attulit vulpeculas, et venatores cum nollet eas necare, lepusculis associaverunt, et eae quoque fratres sunt insecutae. Nec mora, lupus quidam e dumeto egressus est; cum venatores in eum collinearent, îdem vocavit:

»Care venator, vivere me sinas,  
ut duos catulos a me accipias«.

Duos lupulos venatores ceteris bestiis associaverunt, et lupuli quoque eos sunt insecuti. Deinde vênit ursus, qui, cum nollet a vita sua vagabundâ desistere, vocavit:

»Care venator, vivere me sinas,  
ut duos catulos a me accipias«.

Cum ursuli ceteris essent associati, iam octo fuerunt bestiae. Denique autem quis vênit? Quidam leo vênit iubam quatiens. At venatores impavidi ad eum collineaverunt; leo autem eadem verba fecit ac illae bestiae:

»Care venator, vivere me sinas,  
ut duos catulos a me accipias«.

Leo quoque secum adduxit duos catulos, et nunc venatores habuit duos leunculos, duos ursulos, duos lupulos, duas vulpeculas, duos lepusculos, qui insequentes sibi serviebant. Attamen fames venatorum cum nondum esset expleta, vulpibus dixerunt: »Audite, reptores, nobis comparate aliquid ciborum, nam estis vafri atque dolosi«. Vulpes autem responderunt: »Hinc non valdê remotus est vicus quidam, unde iam attulimus gallinam non nullam; quâ viâ illuc veniatis, vobis monstrabimus«. Tum in vicum abierunt, emêrunt aliquos cibos, bestiis pabulum dederunt, ire perrexerunt. Vulpes autem, cum bene novissent regionem, in quâ erant aulae gallinarum, venatores ubique sciverunt ducere. Aliquamdiu circumvagati nullum munus invenerunt, in quo exercendo unâ manerent; itaque dixerunt: »Non possumus, quin inter nos discedamus«. Itaque bestias ita distribuerunt, ut uterque acciperet unum leonem, unum ursum, unum lupum, unam vulpem, unumque leporem. Deinde unus alteri valedixit, inter se promiserunt caritatem usque ad mortem servandam necnon cultrum, quem altor sibi dederat profecturis, in arbore defixerunt; deinde unus in orientem, alter in occidentem est profectus.



Frater autem minor natu<sup>\*</sup> unâ cum bestiis suis vênit in urbem, quae tota circumsaepa erat taeniâ lugubri. Vir iit in cauponam et cauponem rogavit, num is reciperet bestias suas. Caupo iis dedit stabulum, ubi parieti inerat foramen; in quod repsit lepus et brassicae caput sibi attulit, et vulpes sibi attulit gallinam et, cum devoravisset, gallum quoque. Lupus autem, et ursus et leo, quia nimiae erant magnitudinis, non in stabulum sunt ducti, sed foras, ubi modo vacca iacebat in caespite, quâ illi se saturaverunt. Venator cum bestias suas curavisset, ex caupone primum quaesivit, quare urbs taeniâ lugubri esset circumsaepa. Tum caupo: »Quia cras« inquit, »moriatur rēgis nostri filia unica«. Deinde venator interrogavit: »Num illa morbo est affecta mortifero?« - Caupo respondit: »Non est« inquit. »quae est recens atque sana, sed tamen ei moriendumst.« - Venator quaesivit: »Quomodo hoc fit?« »Foris ante urbem est mons altus, in quo habitat draco, qui quotannis postulat, ut sibi tradatur virgo casta, alioquin totam terram devastat. Nunc ferê omnes iam traditae sunt virgines, nec ulla est relicta nisi filia rēgis, tamen nulla est venia, puella draconi est tradenda; istud autem cras fiet«. Tum venator: »Quidni« inquit, »draco occiditur?« - Deinde caupo: »Eheu, tot equites hoc conati sunt facere, sed omnes sunt interfecti; rex ei, qui draconem superaverit, filiam suam pollicitus est in matrimonium ducendam, dixitque eundem post obitum suum regnum heredio accepturum esse«.

Venator autem ad hanc rem nihil adnotavit, sed postridie mâne unâ cum bestiis suis ascendit in montem draconis. Summo in monte stabat parva ecclesia, et in altari posita erant tria pocula completa, et adscripta erant verba haec: *Qui pocula ebiberit, vir fiet in terris robustissimus et illo gladio utetur, qui ante limen ianuae humo infossus est.* Venator autem ibi non bibit, sed foras iit et gladium terrae infossum quaesivit, quem non valuit e loco movere. Tum altare adiit poculaque ebibit et nunc satis robustus fuit, ut gladium tolleret eodemque perfacile uteretur. Horâ veniente, quâ virgo draconi fuit tradenda, eandem exeuntem comitati sunt rex et marescalcus et aulici. Eadem e longinquo venatorem in summo monte draconis videns sensit

---

<sup>\*</sup>cfr Grimms Kinder und Hausmärchen. Gesammelt durch die Brüder Grimm. Herausgegeben von Heinz Rölleke, Vollständige Ausgabe auf der Grundlage der dritten Auflage (1837), Wissenschaftliche Buchgesellschaft Darmstadt 1999, p.1226 (Anmerkungen zu: 279,34): „Der Zwillingbruder wird unlogisch, aber der Märchentendenz folgend, »der jüngste« genannt.“

draconem ibi stantem se expectare nec voluit ascendere, tandem autem, quia alioquin tota urbs esset perdita, non potuit, quin iter faceret gravissimum. Rex atque aulici summâ tristitiâ affecti domum ierunt, sed rēgis marescalco mandatum erat, ut consisteret et ex longinquo omnia aspectaret.



Cum autem principissa in summum montem veniret, ibi non stetit draco, sed venator iuvenis, qui eam consolatus dixit se illam velle servare, principissam duxit in ecclesiam et in eâdem conclusit. Nec mora, magno cum fremitu advectus est draco septem capitibus instructus. Venatore conspecto draco miratus: »Quidnam tibi« inquit, »hōc in monte agendumst?« Venator autem respondit: »Ego volo tecum pugnare!« Tum dixit draco: »Nonnullus eques hōc loco vitam suam perdidit, tu quoque a me superaberis,« et ignem efflavit e septem gutturibus. Draco autem hōc igne voluit gramina accendere, ut venator

ardore atque vapore suffocaretur, sed bestiae accucurrerunt ignemque calcando exstinxerunt. Deinde draco in venatorem invectus est, sed is tam vehementer gladium destrinxit, ut in aëre cantaret, eodemque tria capita draconis amputavit. Tum draco eo vehementius irâ incensus in aëra volavit, super venatorem flammam evomuit in eum invecturus, sed venator iterum gladio dextrico iterum tria capita draconis amputavit. Monstrum lassatum est delapsus, tamen denuo in venatorem voluit invehî, sed is ultimo nisu caudam draconis abscidit, et quia non iam potuit pugnare, bestias suas advocavit, ut monstrum dilaniarent. Pugnâ finitâ venator ecclesiam aperuit et principissam invênit in pavimento iacentem, quia eadem inter pugnam pavore et terrore affecta animo relicta erat. Eam foras extulit, et cum redanimata oculos aperiret, ei monstravit draconem dilaniatum et dixit eam nunc esse redemptam. Principissa autem laeta: »Nunc« inquit, »tu fies carus meus maritus, nam pater meus me promisit in matrimonium ducendam ei, qui draconem esset interfectorus«. Deinde principissa monile suum corallinum sibi detractum distribuit inter bestias, ut mercedem acciperent, et leo accepit monilis claustrum aureum. Mucinnium autem, cui inscriptum erat nomen suum, donavit venatori, qui ex septem draconis capitibus exsecuit linguas easdemque panno involutas bene servandas recondidit. Haec cum facta essent, venator igne et pugnâ perquam lassus atque fatigatus virgini dixit: »Nos ambo cum simus lassus atque fatigatissimi, paululum dormiamus«. Tum illa dixit »Ita faciamus,« et humi decubuerunt, et venator leoni dixit: »Tu vigila, ne quis nos opprimat dormientes!« Et ambo obdormiverunt. Leo autem iuxta eos decubuit, ut vigilaret; sed is ipse pugnando tam defatigatus erat, ut ursum advocaret et dixit: »Decumbe iuxta me, mihi paululum dormiendumst, et si quid acciderit, fac ut me expergefacias!« Tum ursus iuxta eum decubuit, sed cum is quoque esset fatigatus, lupum advocavit et dixit: »Decumbe iuxta me, mihi paululum dormiendumst, et si quid acciderit, fac ut me expergefacias!« Tum lupus iuxta eum decubuit, sed cum is quoque esset fatigatus, vulpem advocavit et dixit: »Decumbe iuxta me, mihi paululum dormiendumst, et si quid acciderit, fac ut me expergefacias!« Tum vulpes decubuit iuxta eum, sed cum ea quoque esset fatigata, leporem advocavit et dixit: »Decumbe iuxta me, mihi paululum dormiendumst, et si quid acciderit, fac ut me expergefacias!« Tum lepus miser consedit iuxta illam, sed miser lepus

quoque erat fatigatus neque ullum habuit, quem advocaret vigilaturum, et obdormivit. Denique nunc dormiebant filia rēgis et venator et leo et ursus et lupus et vulpes et lepus, et omnes dormiebant artissimē.

Marescalcus autem, cui e longinquo fuerat aspectandum, cum non videret draconem virgine correptâ avolantem et omnia in monte essent quieta animo capto montem ascendit. Ibi draco humi iacebat discerptus atque dilaniatus, haud longē ab eo principissa atque venator cum bestiis suis, qui omnes erant arto somno soluti. Cum autem marescalcus esset malus impiusque, gladio destricto caput venatoris abscidit et virginem brachio impositam de monte detulit. Tum ea experrecta est territa, sed marescalcus: »Tu« inquit, »quae cum sis in manibus meis, oportet dicas me illum fuisse, qui draconem occideret!« - Principissa autem respondit: »Hoc non dicam, nam venator unâ cum bestiis suis hoc fecit«. Tum gladio destricto marescalcus minatus est illam, nisi sibi oboedivisset, a se necatum iri, et virginem coegit, ut istud promitteret. Deinde eam secum adduxit ad regem, qui filiâ vivâ conspectâ, quam putaverat a monstro esse dilaniatam, tam vehementer gavisus est, ut vix animum colligeret. Marescalcus autem rēgi dixit: »Cum draconem« inquit, »occiderim totumque regnum liberaverim, postulo, ut filia tua mihi secundum promissum detur in matrimonium ducenda«. Rex autem e virgine quaesivit: »Estne hoc verum, quod ille dicit?« - Illa respondit: »Scilicet, sanē hoc verum sit, sed velim nuptias celebrandas differam usque ad annum et diem«, nam virgo cogitavit se tanto spatio temporis interiecto aliquid audituram esse de caro venatore. At in monte draconis adhuc bestiae iacebant iuxta dominum suum mortuum dormientes. Tum magnus vênit bombylius\* et consedit in naso leporis, sed lepus pede eum deterisit et perrexit dormire. Deinde bombylius iterum vênit, sed lepus secundo eum deterisit et perrexit dormire. Tum bombylius tertio vênit et nasum leporis pupugit, ut expergisceret. Ubi primum lepus vigilavit, excitavit vulpem, vulpes lupum, lupus ursum, ursus leonem. Cum autem leo experrectus videret virginem abesse et dominum suum esse mortuum, rugivit terribiliter et vocavit: »Quis hoc perfecit? Urse, quidni me excitasti?« Ursus quaesivit e lupo: »Lupe, quidni me excitasti?« Lupus autem e vulpe: »Quidne me excitasti?« Et vulpes e lepore: »Quidni me

---

\* +bombylius, -ī m. orig. *Hummel*, angl. *bumble-bee*.

excitasti?« Tantummodo lepus miserrimus nescivit, quid responderet, et culpa eidem inhaesit. Tum ceterae voluerunt in leporem invehî, sed is rogavit, ut sibi parcerent et: »nolite me interficere, nam redanimabo dominum nostrum. Nôvi enim montem, quo nascitur radix, quam qui habet in ore, liberabitur ab omni morbo omnibusque vulneribus. At ille mons hinc abest itinere ducentarum horarum«. Deinde leo dixit: »Oportebit te spatio viginti quattuor horarum huc illuc cucurrisse et radicem tecum attulisse«. Tum lepus prosiluit et viginti quattuor horis elapsis lepus revertit radicem afferens. Leo autem venatori caput denuo apposuit, lepus venatoris ori radicem indidit, mox omnes partes inter se sunt compositae, et cor pulsavit et venator redanimatus est. Tum venator experrectus territus est, quod non iam vidit virginem, et cogitavit: ‚Certê me dormiente illa abiit, ut me molestum relinqueret’. At leo festinabundus domini caput retro imposuerat; is autem de principissâ tam triste cogitans hoc non animadvertit. Dominus meridie demum pransurus vidit caput suum ad dorsum versus esse positum; quod cum non intellexeret, ex bestiis quaesivit, quidnam sibi accidisset dormienti? Tum leo ei narravit se quoque fatigatos obdormivisse et experrectos eum capite absciso mortuum invenisse, leporem radicem vitalem secum attulisse, se ipsum autem festinabundum caput tenuisse reversum; sed se velle errorem suum corrigere. Tum venatori caput denuo abripuit retorsitque, et lepus radice caput affixit.

At venator tristis fuit, vagabatur per regiones longinquas, bestias suas iubebat saltare coram hominibus. Factum autem est, ut ipso anno elapso îdem vir reveniret in eandem urbem, in quâ principissam a dracone liberaverat, et nunc haec urbs circumsaepa erat pannis coccineis. Tum venator cauponi dixit: »Quidnam hoc sibi vult? Anno ante urbs circumsaepa erat taeniâ atrâ, quid nunc sibi vult color coccineus?« Tum caupo respondit: »Anno ante filia rēgis nostri erat draconi tradenda, sed marescalcus illum pugnâ factâ interfecit, et cras celebrabuntur nuptiae; itaque illo tempore urbs circumsaepa erat atrâ taeniâ lugubri, hodie autem gaudii causâ est circumsaepa pannis coccineis«.

Die sequenti, quo nuptiae fuerunt agendae, circa meridiem venator cauponi dixit: »Num credis, Domine caupo, me hodie panem de

mensâ rēgis comesurum esse hīc apud te?» - Caupo: »Vah« inquit, »centum nummis aureis sponsionem tecum faciam hoc non esse verum!« Venator autem sponsionem fecit et pignori opposuit marsuppiū totidem nummorum aureorum. Deinde leporem advocavit eique dixit: »Curre illuc, care saltator, et affer mihi frustum talis panis, qualem rex comedit!« Nunc lepusculus, cum iterum esset infimus omnium, nemini alii potuit hanc rem mandare, sed non potuit, quin ipse proficisceretur. Qui cogitavit: ‚Heu, si solus per vias prosilebo, canes laniorum me insequentur’. Dictum factum, et canes lepusculum insecuti voluerunt eius pellem quamvis bonam sarcire. Is autem – en velocissimum! – fugiens prosiluit in tugurium vigilum nec ab ullo milite est visus. Tum canes venerunt lepusculum expulsuri, sed miles hoc nequaquam passus manubrio sclopeti tam vehementer illos verberavit, ut baubantes atque ululantes aufugerent. Cum lepus animadverteret nullos iam imminere canes invecturos, in castellum insiluit ad ipsam rēgis filiam, consedit sub eius sellâ necnon principissae pedem scalpsit. Tum illa dixit: »Fac abeas!« sentiens pedem scalpi a cane suo proprio. Lepus autem iterum cum pedem scalpsisset, principissa iterum dixit »Fac abeas!« sentiens pedem scalpi a cane suo proprio. At lepus nullo modo perturbatus tertio pedem scalpsit. Tum principissa despexit et leporem recognovit taeniâ collari. Deinde eum gremio suo imposuit et in cubiculum suum tulit et dixit: »Care lepus, quid vis?« Ille respondit: »Adest dominus meus, qui draconem interfecit, et misit me talem panem rogatum, qualem comedit rex«. Tum principissa gaudio effusa pistorem arcessivit eumque iussit talem panem afferre, qualem comederet rex. Lepusculus autem: »At oportet« inquit, »pistor panem etiam illuc apportet, ne canes laniorum vim mihi afferant«. Pistor panem ei attulit usque ad ianuam cauponae. Tum lepus se institit pedibus posterioribus panemque sumpsit anterioribus et domino apportavit. Tum venator dixit: »Vide, Domine Caupo, nunc centum nummi aurei sunt mei«. Caupo autem miratus est. Sed venator loqui perrexit his verbis: »Ita est, Domine Caupo, panem accepi, sed nunc etiam volo comedere aliquid assorum rēgis«. Caupo dixit: »Hoc velim videre«, sed sponsionem facere non iam voluit. Deinde vulpe advocatâ venator: »Vulpecula mea«, »abi et affer mihi tale assum, quale comedit rex!« Vulpes rubra cum astutiarum lepore peritior esset, tam callidē per ambages repsit, ut omnes canes falleret et brevi post sederet sub sellâ

principissae eiusque pedem scalpsit. Tum despiciens vulpem taeniâ collari recognovit, secum adduxit in cubiculum suum, quaesivit: »Care vulpes, quid vis?« Illa respondit: »Dominus meus, qui draconem interfecit, hîc adest et me misit rogatum tale assum, quale comedit rex«. Tum principissa arcessivit coquum, qui iussus est tale assum, quale comedebat rex, parare et vulpi afferre usque ad ianuam. Tum vulpes ab eo patinam accepit, primo caudâ movendâ muscas fugavit, quae asso insederant, idemque domino apportavit. Tum venator: »Viden'« inquit, »Domine Caupo? Panis et caro adsunt, nunc velim etiam comedere tale pulmentarium\*, quale comedit rex«. Tum lupo advocato: »Care lupe« inquit, »abi illuc et affer mihi pulmentarium tale, quale comedit rex!« Tum lupus rectâ viâ in castellum iit, nam timebat neminem. Cum autem lupus conclave principissae intravisset, vulsit partem vestimenti posteriorem, ut illa conversa respiceret. Quae lupum taeniâ collari recognovit et secum duxit in cubiculum et: »Care lupe« inquit, »quid vis?« Ille respondit: »Dominus meus, qui draconem interfecit, hîc adest, et iubet me rogare, ut des mihi pulmentarium tale, quale comedit rex«. Tum principissa arcessivit coquum eumque iussit tale pulmentarium parare, quale rex comedit, idemque lupo afferre usque ad ianuam, ibi autem lupo ab eo patinam accepit eamque domino attulit. Tum venator: »Viden'« inquit, »Domine Caupo, nunc habeo panem et carnem et pulmentarium, sed volo etiam comedere talia dulciola, qualia comedit rex«. Urso autem advocato venator dixit haec: »Care urse, tu libenter soles ligurrire aliquid dulce, abi illuc et affer mihi talia dulciola, qualia comedit rex!« Tum ursus incessit ad castellum, et a quocumque evitatus est. At cum ad vigiles veniret, ii sclopeta urso obtendentes non permiserunt, ut is castellum regium intraret. At ursus surrexit brancisque\*\* suis vigiles parte dextrâ sinistrâque tam vehementer alapatus est, ut ii omnes conciderent, et deinde ursus rectâ viâ iit ad filiam rēgis et post eam se constitit et paululum uncavit\*\*\*. Tum principissa retro conspexit et ursum recognovit eumque iusiit secum ire in cubiculum et dixit: »Care urse« inquit, »quid vis?« Ille autem respondit: »Dominus meus, qui draconem interfecit, hîc adest et iussit me rogare talia dulciola, qualia comedit rex«. Tum principissa arcessivit pistorem dulciarium, quem iussit furno coquere talia dulciola, qualia rex

\* pulmentarium, -iī n. orig. *Zugemüs*.

\*\* branca, -ae f. GROMAT.vet.309,2 et 4: lupi, ursi.

\*\*\* uncō, uncāre: SUET.frg.161p.247,6. ANTHOLOGIA LATINA 762,51 (233,51). i.q. sonus ursorum.

comedebat, et urso apportare usque ad ianuam. Deinde ursus primo pisa dulcia\* delinxit, quae devoluta erant, deinde surrexit, patinam sumpsit et domino suo attulit. Tum venator: »Viden'« inquit, »Domine Caupo, nunc habeo panem et carnem et pulmentarium et dulciola, sed volo etiam bibere tale vinum, quale bibit rex!«. Tum venator leonem arcessivit et dixit: »Care leo, tu libenter potando inebriaris, abi et affer mihi tale vinum, quale bibit rex!« Tum leo per viam transgressus est, et homines ante eum cucurrerunt, et cum ad vigiles veniret, illi voluerunt eum impedire, ne iniret, sed leo semel tantum cum rugivisset, omnes vigiles fugâ salutem petiverunt. Nunc leo ante cubiculum regium progressus caudâ suâ ianuam pulsavit. Tum principissa egressa paene territa est leone conspecto; sed eum recognovit claustello aureo ex suo monili exempto eumque iussit secum in cubiculum ire et: »Care leo« inquit, »quid vis?« Ille autem respondit: »Dominus meus, qui draconem interfecit, hic adest et me iussit rogare tale vinum, quale bibit rex«. Tum principissa arcessivit pincernam, quem iussit leoni dare tale vinum, quale rex biberet. Tum leo dixit: »Volo tecum ire et videre, ut accipiam vinum aptum«. Deinde unâ cum pincernâ in hypogeum descendit, et infra cum advenissent, ille leoni voluit ex dolio defundere vinum vulgare, quale bibebant ministri rēgis; at leo dixit: »Desine! Primo volo vinum gustare«, sibi defudit mensuram dimidiam unoque haustu epotavit. Tum dixit: »Nequaquam. Istud non est vinum rectum«. Pincerna autem leonem contemptim aspexit, sed processit vinum ex alio dolio defusus, quod solebat bibere rēgis marescalcus. Leo autem dixit: »Desine! Primo vinum gustabo«, et ex dolio defudit mensuram dimidiam eamque bibit. Tum leo dixit: »Hoc vinum est melius, sed nondum est rectum«. Tum pincerna irâ incensus dixit: »Vah, quidnam de vino scire vult talis belua stulta!« At tum leo pincernae alapam duxit tantam, ut is vehementer humum decideret. Pincerna autem, cum ad sensum sui rediisset, perquam tacitus leonem duxit in parvum hypogeum speciale, ubi collocabatur vinum rēgis, quod bibere praeter regem nulli umquam homini licebat. Leo primo sibi e dolio defudit mensuram dimidiam vinumque gustavit, deinde dixit: »Hoc quidem videtur esse vinum rectum« et pincernam iussit sex lagoenas complere. Nunc ex hypogeo ascenderunt, cum autem leo ex hypogeo foras exiret, titubabat paululo inebriatus, et pincernam iussit vinum

---

\* pisa dulcia orig. *Zuckererbsen*.



sibi portare usque ad ianuam. Tum leo corbem ansatum ore correptum domino apportavit. Tum venator: »Viden'« inquit, »Domine Caupo, nunc habeo panem et carnem et pulmentarium et dulciola et vinum talia, qualia habet rex, nunc volo prandere unâ cum bestiis meis« et consedit et comêdit et bibit necnon dedit lepori, vulpi, lupo, urso, leoni etiam aliquid illorum ciborum et fuit bono animo, nam vidit se adhuc a filiâ rēgis amari.

Prandio autem sumpto venator dixit: »Domine Caupo, nunc ita comêdi et bibi ut edit et bibit rex. Nunc ibo ad aulam rēgis filiamque rēgis in matrimonium ducam«. Tum caupo quaesivit: »Quomodo hoc fieri poterit, quamquam ea iam habet sponsum et hodie nuptiae celebrabuntur?« Tum venator mucinnium extraxit, quod filia rēgis ei in monte draconis dederat et quo septem linguae monstri involutae erant, et dixit: »Ut hoc assequar, adiuvabor iis linguis, quas manu teneo«. Tum caupo panno aspecto dixit: »Etiamsi omnia crederem, hoc non crederem, et pignori opponam domum meam aulamque«. Venator autem marsuppium mille nummis aureis completum exêmit et mensae imposuit et dixit: »Hoc ego pignori opono!«

Nunc rex ad mensam regiam ex filiâ suâ quaesivit: »Quidnam ferae illae bestiae voluerunt, quae ad te venerunt meumque in castellum sunt ingressae et ex eodem egressae?« Tum ea respondit: »Mihi non licet hoc dicere, sed arcesse dominum harum bestiarum, quo bene facias«. Rex autem ministrum misit in cauponam, qui virum peregrinum invitaret, et minister vênit, cum venator modo sponsonem fecisset cum caupone. Tum venator: »Viden'« inquit »Domine Caupo, rex ipse misit ministrum et iubet me invitare, at ego talis nondum proficiscar«. Et ministro dixit: »Iubeo rogare Dominum Regem, ut mihi mittat vestimenta regia, carpentum sex equis adiunctum et ministros, qui mihi sunt ministraturi«. Hoc responsum cum audivisset, rex filiam rogavit: »Quid faciam?« Ea autem dixit: »Si illum arcesses ita, ut postulat, bene facies«. Tum rex misit vestimenta regia et carpentum sex equis adiunctum et ministros, qui essent viro ministraturi. Venator cum illos videret venientes: »Viden'« inquit, »Domine Caupo, nunc deducar ita, ut postulavi« et induit vestimenta regia et secum sumpsit pannum linguis draconis completum et vectus est ad regem. Rex cum illum videret venientem, filiam rogavit:

»Quomodo illum recipiam?« Illa respondit: »Si ei obviam procedes, bene facies«. Tum rex venatori obviam processit eumque ad castellum duxit, et bestiae insecutae sunt. Rex autem ei sedem attribuit iuxta se filiamque suam sitam, marescalcus autem sponsus sedit in alterâ parte; at is venatorem non iam noverat. Nunc modo septem capita draconis spectaculi causâ ostentata sunt et rex dixit: »Cum marescalcus septem capita draconi absciderit, hodie ei filiam do in matrimonium ducendam«. Tum venator surrexit, septem rostra draconum aperuit, quaesivit: »Ubinam sunt septem linguae draconis?« Tum marescalcus territus pallescens nescivit, quid responderet, tandem timidê dixit: »Dracones sunt linguarum expertes«. Tum dixit venator: »Utinam linguarum expertes essent homines mendaces! Sed hae linguae draconis sunt symbola victoriae« et panno evoluto monstravit linguas draconis septem omnes, et deinde omnem linguam infixit ei gutturi, cuius fuit, et omnis lingua optimê quadravit. Deinde pannum sumpsit, cui acu impictum erat nomen principissae, monstravit virgini eamque rogavit, cui eundem dedisset. Tum filia rēgis respondit: »Dedi ei, qui draconem interfecit«. Deinde advocavit bestias suas, dempsit iis taeniam collarem, leoni claustrum aureum, virgini monstravit necnon ex ea quaesivit, hae res cuius essent. Illa autem respondit: »Taeniae collares et claustrum aureum fuerant mea, ea distribui inter bestias, quae adiuverant in dracone vincendo«. Tum venator: »Cum pugnando« inquit, »fatigatus dormire, marescalcus vênit mihique caput amputavit. Deinde îdem filiam rēgis abstulit et simulavit se fuisse illum virum, qui draconem interficeret; marescalcum autem mentitum esse ego nunc demonstro linguis et panno et taeniâ collari«. Deinde autem venator narravit, quomodo a bestiis radice mirabili sanatus per annum circumvagatus tandem huc revenisset, ubi caupone narrante audivisset de fraude marescalci. Tum rex ex filiâ suâ quaesivit: »Verumne hic vir draconem interfecit?« Tum illa respondit: »Hoc est verum. Nunc mihi licet patefacere facinus marescalci infamissimum, quia me tacente innotuit, nam iste me coegerat, ut promitterem me silentium esse servaturam. Hac enim de causâ nuptias celebrandas distuli usque ad annum et diem«.

Tum rex arcessivit duodecim senatores, quos iussit iudicare de marescalco; iidem autem iudicaverunt oportere, ut marescalcus a quattuor bobus discinderetur. Itaque de marescalco supplicium

sumptum est, rex autem filiam suam tradidit venatori eumque fecit procuratorem toto in regno agentem. Nuptiae magnis cum gaudiis celebratae sunt, et rex iuvenis arcessivit patrem atque altorem eosque thesauris abundanter donavit. Neque cauponem oblîtus arcessivit et: »Viden'« inquit, »Domine Caupo, filiam rêgis in matrimonium duxi, et domus et aula sunt mihi«. Tum dixit caupo: »Ita est et iustê factum«. Rex autem iuvenis dixit: »Fiat etiam bonâ gratiâ: Domum atque aulam retineas et praeterea tibi donabo mille nummos aureos«.

Nunc rex atque regina iuvenis bono erant animo et laetê unâ vivebant. Rex iuvenis foras exhibat venatum, quia venando laetabatur, et bestiae fideles eum comitabantur. At erat in propinquo quaedam silva, quae dicebatur esse magica, et si quis in eâ inesset, haud facile fieri, ut ex eâ evaderet. Rex autem iuvenis, cum valdê cuperet in eâ venari, non desiit socerum urgere, usque dum ille sibi permetteret hoc facere. Nunc ex castello cum equitavisset magno cum comitatu, et ad silvam accessisset, in eâ conspexit cervam niveam; tum dixit comitibus: »Expectate hîc, dum reveniam, volo pulchram hanc bestiam feram venari« et post cervam in silvam equitavit et nemo eum secutus est nisi bestiae ipsius. Eius comites usque ad vesperum exspectaverunt, sed ille non revertit. Tum domum equitaverunt reginaeque iuveni narraverunt: »Rex iuvenis in silvâ magicâ cervam albam venatum secutus non revertit«. Tum regina iuvenis correpta est magnâ sollicitudine.

Rex autem iuvenis bestiam illam pulchram semper equitando secutus numquam est assecutus; quodcumque putabat cervam esse distantiâ aptâ ad sclopetandum, illa statim conspiciebat procul prosilientem et denique prorsus evanescentem. Nunc iuvenis animadvertit se mediam in silvam devenisse, cornu suo sumpto cecinit, sed nemo respondit, nam a suis non auditus est. Nocte ingruente iuvenis vidit se hîc die domum non venturum esse, ex equo descendit, apud arborem ignem fecit, ut prope eum pernoctaret. Cum ad ignem sederet et bestiae eius iuxta cubarent, iuveni visum est audire vocem humanam; circumspexit, sed nihil animadvertit. Brevi post iterum audivit gemitum e parte superiore venientem, tum in altum suspiciens conspexit mulierculam vetulam in arbore sedentem lamentari non desinentem: »Hu, hu, hu, quantum frigeo!« Tum rex iuvenis dixit:

»Descendas teque calefacias, si friges«. Illa autem dixit: »Non descendam, ne a bestiis tuis mordear« Is autem respondit: »Quae tibi nullam vim afferent, anicula, noli sollicitari, fac descendas«. At illa cum esset sagana, dixit: »Virgam ex arbore deiciam, quâ si illarum dorsa pulsaveris, mihi nullam vim afferent«. Tum ad iuvenem deiecit virgulam, quâ is bestias pulsavit; mox eaedem iacuerunt tacitae et in lapides mutatae. Sagana autem, cum nunc esset a bestiis tuta, desiluit et iuvenem quoque virgâ attigit, ut is in lapidem mutaretur. Deinde risit et iuvenem eiusque bestias in quandam fossam traxit, ubi iam plures iacebant lapides eiusmodi.

Cum autem rex iuvenis in castellum etiam etiamque non reverteretur, angor atque sollicitudo reginae in dies augescebant. Nunc factum est, ut ipso hōc tempore alter frater, qui a fratre seiunctus migraverat versus orientem, in regnum veniret. Īdem munere quaesito nec invento huc illuc vagans bestias suas saltare iusserat. Tum ei in mentem subiit se velle videre, qualis esset ille culter, quem discessuri in arbore defixissent, ut acciperet, quomodo frater suus se haberet. Cum ad arborem venisset, vidit id latus cultri, quod fratri suo erat attributum, dimidiâ ex parte esse ferrugine obtectum, alterâ parte dimidiâ adhuc esse nudum. Tum territus cogitavit: 'Apparet fratri meo magnum malum accidisse, sed fortasse adhuc eum possum servare, nam cultri pars dimidia adhuc est nuda'. Īdem iuvenis unâ cum bestiis suis versus occidentem migravit, et cum portam urbis adveniret, vigiles eum accesserunt et rogaverunt, num sibi esset uxori eius annuntiandus, nam iuvenem reginam ex nonnullis diebus valdê sollicitam esse propter eius absentiam et timere, ne in silvâ magicâ periisset. Hic enim iuvenis fratri suo gemino tam similis erat, ut vigiles crederent eum iuvenem esse regem, quippe qui etiam bestias feras secum duceret. Tum is iuvenis animadvertit illos loqui de fratre suo et cogitavit: 'Optimum est simulare me esse illum, quo fortasse facilius illum servem'. Ergo iussit vigiles se comitari usque ad castellum, ubi magnâ cum laetitiâ est receptus. Regina iuvenis reverâ credidit eum esse maritum suum, eumque rogavit, quare tam diu afuisset. Is respondit: »In silvâ cum a rectâ viâ aberrassem, nunc demum invêni, quo reverterer«.

Vespere in lecto regio collocatus est, sed gladium bipennem sibi atque

reginae interposuit. Ea nescivit, quid hoc sibi vellet, sed non ausa est quaerere.

Ibi mansit per aliquot dies et quam accuratissimê perscrutatus, qualis esset silva illa magica, tandem locutus est »Oportet me ibi iterum venari«. Rex senex eiusque filia voluerunt iuvenem ab hîc incepto avertere, sed îdem perseverans ex castello equitavit magno cum comitatu. Cum silvam advenisset, ei idem accidit ac fratri: vidit cervam albam suisque dixit: »Manete hîc et exspectate, dum reveniam, nam venari volo hanc feram pulchram«, in silvam equitavit et bestiae eum sunt insecutae. At cervam non assecutus devênit in silvam tam abditam, ut sibi esset ibidem pernoctandum. Igne autem accenso supra se audivit vocem gementem: »Hu, hu, hu, quantum frigeo!« Tum suspexit, et eadem sagana illa supra sedit in arbore. Tum iuvenis dixit: »Si friges, descende, anicula, et te calefac«. Illa autem respondit: »Non descendam, ne mordear a bestiis tuis«. Is autem dixit: »Illa tibi nullam vim afferent«. Tum illa vocavit: »Deiciam tibi virgam, quâ si illas pulsaveris, mihi nullam vim afferent«. Venator haec cum audivisset, aniculae parum confisus dixit: »Bestias meas non pulsabo, tu autem descende, aut te afferam« Tum illa clamavit: »Quidnam vis? Tu mihi nihil facies«. Is autem respondit: »Nisi deveneris, sclopeto te deiciam«. Tum illa: »Tu iaculeris quotiescumque: non timeo globulos tuos plumbeos«. Tum iuvenis sclopetum genae appposito iaculatus est, sed sagana cum esset tuta contra globulos plumbeos, tam vehementer cachinnavit, ut aures streperent, et clamavit: »Tu quidem me non percuties« At venator huius rei peritus cum esset, sclopetum suum caricavit tribus botonibus argenteis e veste suâ ereptis, nam ad tales globulos sagana nullo modo valebat, et manuclâ repressâ clamans deiecta est. Tum iuvenis pede maleficae imposito dixit: »Vae tibi, vetula sagana, nisi statim confessus eris, ubi frater meus sit, te ambabus manibus correptam in ignem conieciam!« Sagana autem sollicitissima veniam precata dixit: »Frater tuus unâ cum bestiis suis in fossâ iacet in lapidem mutatus«. Tum iuvenis eam coegit, ut secum illuc iret et minatus dixit haec: »Tu vetula éxcetra, statim fac ut frater meus omniaque animalia, quae hîc iacent, redanimentur, aut venias in ignem!« Sagana autem cum virgâ sumptâ lapides attigisset, frater illius cum bestiis suis redanimatus est, necnon multi alii, mercatores,

fabri, pastores, resurrexerunt, gratias egerunt pro liberatione, domum ierunt. Fratres autem gemini, cum inter se reviderent, invicem osculati ex intimo animo gavisii sunt. Deinde saganam correptam vinxerunt ignique imposuerunt, et cum eadem esset combusta, silva ultro aperta facta est tam clara atque lucida, ut castellum regium appareret itinere trium horarum remotum.

Nunc duo fratres unâ domum euntes inter se narraverunt de fortunis suis. Cum autem iunior<sup>\*</sup> diceret se loco rēgis in totâ terrâ esse dominum, alter dixit: »Hoc quidem bene animadverti, nam cum in urbem venirem et pro te haberer, attributus mihi est omnis honor regius. Regina iuvenis cum me haberet pro marito, ego non potui, quin unâ cum illâ cenarem et in lecto tuo dormirem«. At hoc cum alter audivisset, irâ atque aemulatione tam vehementer incensus est, ut gladio dstricto fratris caput abscideret. Cum autem ille mortuus iacêret sanguine effluente, eum facinoris paenituit vehementer. Qui »Frater meus me a malo redêmit. At ego eum necavi!« magnâ cum voce lamentatus est. Tum lepus eius veniens praeiuit radicem vitalem a se afferendam et prosiluit et attulit ipso tempore, et mortuus redanimatus est nulloque modo sensit se vulnere esse affectum.

Deinde iter facere perrexerunt, et iunior: »Tu« inquit, »eodem aspectu es ac ego, talia vestimenta regia geris qualia ego, et bestiae te ita insequuntur ut me. In urbem ineamus per portas inter se adversas et simul ex utrâque parte regem senem adveniamus«. Ergo unus ab altero discessit, et eodem tempore vigil ab unâ et ab alterâ portâ vênit nuntians regem iuvenem unâ cum bestiis venatum revertisse. Tum rex: »Hoc« inquit, »fieri non potuit, nam portae inter se distant itinere unius horae«. At nunc ex utrâque parte vênit frater in aulam castelli; deinde ambo ad castellum ascenderunt. Tum rex filiae suae dixit: »Dic mihi, uter horum sit maritus tuus? Unus eodem aspectu est ac alter, ego hoc ignoro«. Filia autem rēgis valdê sollicita nescivit, uter esset maritus suus, sed tandem ei in mentem vênit monile, quod dederat bestiis; quod quaesitum invênit in uno tantum leone claustrum illud aureum. Tum principissa laetê vocavit: »Is, quem hic leo insequitur, est verus maritus meus!« Tum rex iuvenis risit et dixit: »Ita est, ego sum verus maritus tuus«, et ad mensam unâ consederunt


---

\* v. supra p.9.

et comederunt et biberunt laetissimi. Vespere, cum rex iuvenis cubitum iret, uxor rogavit: »Noctibus praeteritis quid semper nobis interposuisti gladium bipennem? Putavi te velle me necare«. Tum rex iuvenis cognovit, frater suus quam fidelis fuisset.

\* \* \* \* \*

**HANC FABELLAM GRIMMIANAM  
OMNIUM GRIMMIANARUM LONGISSIMAM  
QUAE ORIGINALITER INSCRIBITUR  
»DIE ZWEI BRÜDER«  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	<b>A</b>	<b>938905-28-9</b>	<b>T.LIVIO DESCRIPTA</b>						
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3-938905-29-6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SEPTIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Lunae, 12. m.Mart. a.2018**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**